

QUÆSTIO MEDICA.

QUODLIBETARIIS DISPUTATIONIBUS manè diſcutienda in Scholis Medicorum die Jovis 4. Decembris.

M. FRANCISCO SORAND, Doctore Medico, Præſide.

An Calculus à Caſeo?

I.

SUAS, ne quid Homini Microcoſmo rerum naturæ deeſſet, habuit ille Latomias Lapidarias, quas ſæpe neſcius condit, alitque; ſæpiùs prodit atrociſſimo cruciatu: quinimò communi, gentilique Mixtis omnibus Lapidoſæ Concretionis Teſſerâ, Recenti Caſeo mollior in uteri fiſcella, Totus ex ſe nonnunquam lapideſcit Puellus (verſâ Deucalionis operâ) veram de ſe fabulam daturus. Nulli parcit illa ætati, ſexui, tempori, regioni; latet, patet terris omnibus; Tranſilit quoque Elementi ſui fines, & de Cœlo pluit. Rarior quidem toti vegetantium familiæ, alieno potiùs vitio quàm ſuo, Zoophytis παμφάγων animalium univerſæ genti frequentior, verùm uni pene homini ξύμφυλος, ξύντροφος incurioſi victus errore. Nullâ cæteroqui naturæ culpâ, ſequiori ſexui omnino indulgentior, Pueris aqualiculo mollior, Juvenes, Vitos, Senes, Cauſarios, pigra gracilique alvo, miſerâ macritudine Tabidos crudeliùs exercet, nullis expugnanda Lithontripticis, quæ, Neſcia Recti, Agyrtarum Carnificina, immiti addere docta ſupplicio.

II.

QUI primùm univerſa condidit, ſimulque miſcuit, ſtare nihil in ulla caducæ naturæ parte ſincerum voluit ac impermixtum, συνκρίσεως, διακρίσεως viceſque, æternæ leges, conſtitutæ:

hinc ab orco in lucem, à luce in orcum dum commeant, remeantque cuncta, fidem natalium faciunt ac repræsentant, primaque ex quibus corporantur, ostendunt Elementa, Terram & Aquam, communes omnium parentes. Ne proinde mireris hominem in homine velut imis Terram visceribus lapidem fieri, de subacta, mollique gleba fit silex, haud secus ille quâ datur lapidem excoquit sibi in Titulum sepulchri, ejusque tyrocinio aliud agens nullibi non, se adhibet & applicat: Prima Rudimenta incipissit in schyrris, format in crudis tuberculis, gangliis, steatomatis, strumis, nodis, articulorum tophis, numeris omnibus accuratum specimen exhibet, redditque in Calculis, ut in Lapidicinis pro genio Soli, partium, humorumque indolem secutis. Unde fungosi, pumicosi, grandinosi, leves è Pulmone, vesicula bilaria: Duri, graves, læves, asperi, çeu Musivo opere compactiles duritie siliceâ squammatim corticosi è Renibus & Vesica: sua quippe Puero μετ' ὕρησιν, adultis πρὸ ὑρήσεως συνάγματα, variâ concretionis specie, formâ, conditione.

III.

UT lapidosi fundi, sic uteri vernacula infelicitas, quærelis gravis inanibus, nullâ arte redimenda venit; quidquid idcirco insitivi hujus vitii est, minuere solum, adscititio providere una Medici provincia pro diversa causarum æstimatione, præsidiis idoneis discrimina daturi, quâ venæ sectione superâ, inferâ, κατ' ἴξιν, quâ medicamentis accommodatis, alterantibus, benignè purgantibus: Ex integro, eo proposito scopo adhibito studio curabit ille, ut à Mochlicis, Emeticis, Diureticis, omninò sibi intelligat temperandum, neu ausit Medendi legem ullatenus dividere, quæ Hippocrati una & tota περὶ λεπτύναι καὶ ἀπαλῦναι circumscribitur. Causas quippe omnes compendio habiturus in numerato, si attendat vitæ peccatis, quæ in alimentis prima, ubi hæc ὄγκῳ καὶ δυνάμει, immodesta, nimia, ἀπέραμνα, crassa, glutino sequacis succi, peregrinis inimica qualitatibus, alieno paratu, quæ calori, uni coctionis artifici, parant negotium: Improbum Secretricis potentiæ eludunt laborem. Robur Excretricis superant & fatigant, invictâ substantiâ & qualitate solvunt, mole prægravant, atque ita tandem privatum cuique genium Assimilatricis frustrantur, adulteri succi mixturâ inquinant, demutant, corrumpunt. Tot malis futura princeps, quæ reliquarum optima, in alimento Medicina, Temperata, Accurataque ad diætæ attenuantis Normam, à qua Rea Calculi, qualiscumque sit Er-

rori pronior γαλακτοποσία, solis à Marasmo Convalescentibus, Pytoclis exemplo interdum permittenda. Ad ἀναστοιχείωσιν lacte plurimâ aquâ diluto, quæ solvat præsens Coaguli venenum.

I V.

ALI quidem lacte germana illa, cognataque Menstrua alimonia puerum edentulum providentis Naturæ temporaria gratia & indulgentia perfectâ dentitione exolescit, secùs versa in injuriam ascaridibus terminat, dum per moras jucundissimæ dulcedinis, illicio nocente τοῦ ἰκμαλέου beneficio cadit, Coctioni perquam infesto acore abdicatur naruralis officinæ vestibulo, regeritnrque caseosum, nonnisi graviore naturæ damno retinendum, coit ubi duritia pumicis in modum: vexat intestina torminibus, præfocat hypochondria, utilem prohibet annonam commeatu, arctat, clauditque animæ vias: si crudum, purum, putum obtuleris, eò uberiore, crassioris recrementi exagoga futura quò coctius: adeò brevi momento Naturæ bona exuit, aut perdit liquor iste temperatissimus, domestica vitia explicat, induit, retinetque pertinaciùs aliena: Etiam de fonte haustus, lactentium ora eulcerat, fœdat aphtis, ulcusculis, serpentibus manantibus genas arat, æruginosæ, splendidæque bilis proventu plurimo mordet impedita viscera, ad omnem expeditior injuriam contrariis quibus Coit substantiis, sero, caseo, butyro, neque uno Corruptionis genere, acore, nidore, inimicatur, etsi Romanorum ἀφέψγαλα æstuantibus, nitentibusque visceribus sit plerumque permittenda Medicina. Ejusdem lac mixtum indolis, neque tamen nocendi suspicione vacat, quâ laborat naturæ suæ sorte, necdum melle, saccharo, sale, aceto, menthâ, vino, aromatis conditum, emendatumque cacochymis, μεγαλοσπλάγχνοις, Hepaticis, Vertiginosis, Comitialibus, Neuricis, maximé omnium Calculosis πᾶν ἄθετον.. Plus tamen in butyro maleficii, minus in sero, in Caseosa portione plurimum ex usu comperias.

V.

LAC siquidem, quamquam videatur spuma Residis, Defœcatiorisque Sanguinis Mammarum vasis & glandulis diligentius elutriati, superstite nihilominus lentore pingui, terrenoque crassamento τὸ ἐχέκολλον, quibus maximè abundat geminum istud & præcipuum alibilis substantiæ vitium liquidò probat non posuisse, etiam propiùs admotum vitæ laribus, medioque hujus foco editum & conditum. Viden & bene sanis Puerperis, Nutricibus σπαργῶντα ubera in στραγγαλίδας protinùs durantur, fideliqué san-

guinis ſymbolo abeunt in ſuppuratum, nullo privilegio loci, nullâ proprii Caloris Tutelâ. Ecce de Lactante Calens, Lactentis Suctu, Calido ventre receptum, ore ſtatim redditum Lac Caſeus prodit ſpongioſa illa lactis denſitas maleficæ conſcia corruptelæ. Fit ecce αὐτόπηκτος ille ſpontaneo Seri divortio ſimul ac in mactra Lac coacuerit, vel maturiore coagulo venenarit, artificis gulæ impatientiâ. Neque de Lactis delectu quiſquam ſollicitior Caſei vitium caſtigaverit: Genus, Ætas, Tempeſtivitas, Mixtura nil habet operæ pretii: Communis undecumque pernicies: at ſeriùs, ociùs, huic, iſti-ve minor, indulgentior, obſcurior valentibus: Uſurâ graviore, præſentariâ cæteris, Calculoſis ſummâ in ſolidum. Integro nomine vitioſitatis, quæ prima Caſeo bubulo, puro, confuſaneo, inſulſo, rancido: caprillo, camelino, ovillo, equino, aſinino, Remiſſior quidem, at obnoxiæ ſemper Conditionis, à qua nec ὀπίας ipſe immunis, hinc, illinc à Lactis metis ad læthi metas nec æquo pede decurritur.

Ergo Calculus à Caſeo.

Domini Doctores diſputaturi.

M. Ioannes-Claudius de Larbre.	*M. Renatus Chauvel.*	*M. Joannes-Baptiſta Moreau, Sereniſſimæ Delphinæ Medicus primarius.*
M. Philippus Tourbier.	*M. Petrus Legier.*	*M. Antonius Morand.*
M. Iacobus Deſprez.	*M. Franciſcus Sorand, Præſes.*	*M. Ioannes Hamon*

Afferebat Pariſiis JOANNES POISSON, Pariſinus, Baccalaureus Medicus. A. R. S. H. 1681.

Apud Franciſcum Muguet, Regis & Facultatis Medicinæ Typographum.